Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1301
Quelle:
Copyright:

1313. generalis O. M. Ministri, et in hoc munere mox altero anno *Romae* defuncti, quas quidem memorant Bibliothecarii supracitati nullo tamen, ubi condantur, designato loco. Sunt porro numero, ut Elenchus subsequus eloquitur, XXI. eaque, quae chorum ducit, ita habet: *Primo queritur: vtrum in vna et eadem re simplici possint includi diuerse formalitates siue diuersa esse quiditativa* &c. Ultima vero finit: *et ideo propositio non verificatur nisi per synecdochen.* Post Elenchum adscripta est, et fuse tractatur Quaestio: *Vtrum aliqua essentia alia ab essentia prima sit ab eterno?* An et haec ad *Alexandrinum* pertineat, ignoro. Scholam certe Doctoris *Subtilis* aeque sapit.

IV. *fol.* demum 145. succedunt *Quaestiones Scoti de Anima.* Initium primae est: *Vtrum sensus tactus sit vnus uel plures. Videtur quod vnus, quia si essent plures, tunc essent plures quam quinque* &c. Numero sunt XXII. Elenchus tamen subjunctus non ita eas repraesentat, ut procedunt; procedunt autem eadem ratione, qua in suprac. *Opp. Scoti* Editione. T. II. p. 485. ubi queritur Commentator *Hugo Cavellus* O. M. Opus esse mutilum, nec emetiri totum *Aristotelem* περι Ψυχης. Interim ille una Quaestione, nempe 23. plus censet, quam Codex noster. *Waddingus* in *Censura* praevia trium *Codd. Vaticanor.* meminit, quibus hae *Quaestiones* insunt, et geminae vetustae impressionis *s. l.* et *a.* quam sane raram esse oportet. Adscripta est ad calcem Quaestio prolixa: *Vtrum theologia sit scientia proprie dicta?* quae prosequitur: *Videtur quod sic. Sicut se habet lumen naturale sensus ad lumen naturale intellectus agentis* &c. et non est illa, quae legitur apud *Scotum* initio L. I. *Sententiar.* Interim esse *Scotistae*, probant ea, quae *Thomae* obmovet.

DLXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 621

Folior. 256. f. per duas columnas non una manu exaratus, rubricis distinctus, et unus ex XVII. illis, quos, ut verbosa Nota praevia commendat, M. *Andreas de Weytra* T. D. et S. *Stephani* Canonicus *ad Librariam Collegii Ducalis* inter Vivos donavit, inscribitur I. *Incipit prologus theologyce veritatis Hugonis primi postillatoris totius biblie Cardinalis Ord. pred.* Error, de quo jam *Vol.* I. non semel monui; non enim *Hugo a S. Caro*, sed *Hugo de Argentina Compendii* hujus in VII. Libros divisi autor est. Horum Librorum praeit Index subnotatus an. 1404. ad cujus calcem varia Ατοπα inculcata sunt, puta: Prognostica Anni juxta dies hebdomadis, in quos inciderint *Kalendae Januariae*, Prognostica de Pueris juxta eosdem dies, quibus nati fuerint, Sermo brevis *feria 2. post Pascha* de Vita humana sub Peregrinationis Schemate, *de Karena*, *Intronizatio plebanorum ad ecclesiam*, pluresque Passus theologici &c. ita, ut Opus ipsum *fol.* demum 5. inchoet: